



1722, 14 a G. 74. num. 40 J. 47.
DISSERTATIO INAUGURALIS;

QVAM DE

USU DOCTRINÆ
JURIS ROMANI,
DE
IGNORANTIA JURIS

IN
FORO GERMANIÆ,
ET QVOD IN EO ÆQVUM SIT,

DIVINIS AUSPICIIS
MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE,

REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,

DOMINO

JO. JOACHIMO HAHN,

EPISCOPO METELLOPOLITANO,

Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini per Thuringiam, Hassiam & Eichsfeldiam in Pontificalibus Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalis Curie Pro-Vicario Generali, SS. Theologiæ & Juris Vtriusque Doctore, Protonotario Apostolico, Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegiatarum ad Gradus B. M. V. & ad S. Joannem Moguntiz respectivè Scholastico, Canonico Capitulari, & reliq.

PERMITTENTE ILLUSTRIS JCTORUM
IN ANTIQVA GERANA
PRO LICENTIA,

SUPREMOS IN UTROQVE JURE HONORES RITE
CONSEQVENDI,

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI

AD DIEM XX. OCTOBRIS AN. MDCCXXII.

SUBMITTET

CHRISTIANUS GOTTLIEB
PRIBER, Zittau-Lusat.

KONFRIED
UNIVERS.
ZVHALIE

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

DISSERTATIO IN AUCTORITATE

DE

DOCTRINA

JURIS ROMANI

DE

ANTIA JURIS

IN

TORO GERMANIAE

ET QUOD IN EO FOUENIT

DIVINA AUCTORITATE

AD HONOREM UNIVERSITATIS RECTORIS

ET UNIVERSITATIS

DOMINO

IOACHIMO HANN

RECTORI

IN ANTIQA GERMANIA

PRO FACIENTIA

RECTORIS ET UNIVERSITATIS

CONFERENTIA

IN ANTIQA GERMANIA

UNIVERSITÄT
SACHSEN-ANHALT
MAGDEBURG

IOACHIMUS HANN

RECTOR

VIRIS

*Illustribus, Excellentissimis, Amplissimis, Nobilissimis,
Consultissimis nec non Doctissimis*

DOMINIS

CONSVLIBVS,
CONSULI-SYNDICO,
PRÆTORIBUS,
ASSESSORIBUS JUDICII,
SCABINIS,
SENATORIBUS,
SECRETARIIS,


Civitatis inclytæ Zittaviensis

Patronis meis submisso honoris cultu devenerandis,

Dissertationem Inauguralem
Ea qua par est observantia & pietate

Tradere debuit voluit

AUTOR,



§. I.



Mplissima Jurèconsultorum est doctrina de ignorantia : frequenter leges de illa agunt & tam in digestis quam in codice singulares apparent de ignorantia tituli, qui Romanos Jctos in illustranda ista materia occupatos fuisse docent. Et digna omnino est, ut sub examen vocetur. Quid enim in jurisprudentia no-

stra magis necessarium, quid judici in foro majori cum cura est observandum, quam difficillima illa circa hominum facta quaestionum actio possit imputari? Ad ea quoque recurrit principia fere omne id, quod de ignorantia dici potest, cum ea non raro imputationem impediatur, imo saepius vice probationis fit, quatenus scilicet ab onere probandi relevat, unde nascitur praesumptio illa ignorantiae l. 21. D. de probat. quae saepissime allegari solet. Et innititur ea circumstantiis verosimilibus ex quibus concludi potest, agentem ex vera non ficta ignorantia egisse. Haec tamen doctrina, ut utilissima, ita ex genuinis petenda principiis, & vereor, ut hoc loco leges Romanae omnia exhauriant, aut nobis hodierno satisfaciant tempore; cum ista doctrina non tam ex juris particularis quam universalis sanctionibus sit haurienda Titius observ. Lauterb. 736. p. 502.

§. II.

Nostra quidem mens non est, omnem de ignorantia doctrinam hoc loco attingere. Ita enim de sola ignorantia juris acturi sumus, quam Romani Jcti cum errore juris conjungunt: nam iis ignorantia juris & error uno habentur loco v. l. 7. & l. 8. de jur. & facti ignor. Differunt alias, cum ignorantia sit defectus cognitionis legum ad quarum normam subditi actio e. suas suscipere obstricti sunt, error autem opinio vero legum sensui contraria, & sane inter se comparari possunt ut causa & effectus. Ignorantia juris opponi solet ignorantia facti. Illam definiunt, quod in eo consistat, ut quis jus & quid sibi de jure competat, ignoret, veluti, si quis honorum possessionem vel jus succedendi sibi competere nesciat l. 3. D. h. v. l. 1. pr. §. 1. & seqq. Ignorantia facti autem est, quando, quod in causa vel natura contingente positum est, accidisse ignoratur, veluti si quis nesciat, mortuum esse, cujus hereditas sibi lege defertur, vel testamentum quo heres institutus est, conditum esse l. 1. pr. §. 1. & seqq. de jur. & facti ignor. Exempla passim multa in jure civili prostant, ita, si quis per ignorantiam facti pecuniam expromissit. l. ult. ff. de Sc. Macedon.

§. III.

Neque vox juris in una significatione accipitur. Vel enim aliquando pro lege ut in l. 12. C. de juris & facti ignorantia, vel pro facultate & effectu legis quæ ex dispositione & beneficio legis nascitur, v. g. si quis ignoret, sibi competere jus succedendi sibi que concessa esse peculiaria privilegia, quæ aliquando, leges certis personis indulgere solent. Ceterum ignorantia legis & juris inter se sunt connexa, & in uno casu occurrere possunt, cum non raro tanquam antecedens & consequens conveniant. Nos autem hoc loco primario de ignorantia juris, quatenus vox juris pro lege accipitur disquirimus. Ea ignorantia ratione legum duplici ratione considerari potest. Alia enim est ignorantia juris universalis, si quis eas ipsas LL. ignoret, quæ naturalis eaque vere culta ratio dicitur. Ea quidem ignorantia cum habeatur in foro pro supina

(2)

raro excusari poterit. Hinc in omnibus delictis obest, nec
adversus illud delinquentes excusat vid. l. 38. S. 1. 2. 3. 4. ad
L. Jul. de Adult. c. 11. l. 9. r. c. 15. diff. 36. Regulariter enim Ju-
ris hujus scientia praesumitur, a cujus obligatione nemo mor-
talius absolvitur. Hinc & ii, quibus alias pernissum est Jus
ignorare, frustra ad hujus juris ignorantiam provocant.

§. IV.

Hæc quidem si primo intuitu consideramus satis firmo
videntur stare calo. Satis enim certa & clara tradiderunt eru-
diti nostri xvi juris naturalis principia, ut taceam, quod præfer-
tim nos christiani in sacris litteris, & a nostris sacerdotibus
præ ceteris gentibus multa exposita deprehendamus, ex qui-
bus officia erga alios satis secure concludi possunt; Aut nihil
ominus non inique, ut puto asseritur, certis circumstantiis et-
iam dari ignorantiam juris universalis, quæ apud aliquos homi-
nes deprehendi possit. Nullus id negabit, si considerat, quod adeo
facile sit, multos homines præsertim inter vulgum, qui tamen
maximam sane partem in republica constituit, vel ex defectu de-
bitæ educationis vel ex stimulo affectuum fervore in deploran-
da abripi præjudicia, qui tamen ex hisce falsis, atq. erroneis prin-
cipiis non sine justitiæ confidentia vituperandos sæpius actus
bono animo suscipiunt. Ex hac ratione fatendum omnino
est, oriri interdum posse in deserviendis hominum officiis aliud
atque aliud dubium, in cujus decisione a tramite aberrare
facile poterunt homines in hoc genere cognitionis plane non
aut insufficienter exercitati. Sed ut in omni ignorantia ge-
nere differentia veræ ac dolosæ & fictæ ignorantia serio spe-
ctanda est, & an ad cognitionem hujus vel illius momenti
fuerint obstructi, sic etiam in hisce passibus prior distinctio
attendenda erit. Et cum certum sit ad impossibilia neminem
obligari posse, aut talis cognitio apud omnes in actum dedu-
cenda, aut mitius agendum erit cum ignorante, qui ex pa-
tentibus circumstantiis has vel illas subtilitates modo dicti ju-
ris non eruere potuit, nisi regulas amoris & æquitatis trans-
cendere velimus.

§. V.

§. V.

Alia est ignorantia juris positivi, quod in qualibet civitate constitutum. Ea ignorantia quidem vituperanda omnino videtur, cum LL. quæ fundamentum felicitatis externæ esse debent tanquam media ad hunc finem ignorentur. Hinc ad præscriptum juris Romani generalem regulam reprehendimus, jus ignorare subditis non licere, *l. 12. C. de jur. & falsi ignorantia*. Constitutiones Principum nec ignorare quenquam, nec dissimulare permittimus. Proinde vulgo nec ad ipsam difficultatem & obscuritatem legis respici solet, ut sufficiens habeatur ratio ad excusandam ignorantiam. Juret *l. 10. ff. de Bon. posses.* ut, qui ipsi non intelligant LL. prudentiores consulere debeant, quæ obligatio ex ipso civis officio derivatur, qui tam ad leges communes, quam provinciales & statutarias strictè satis obligatur.

§. VI.

Sed antequam ad decisionem ipsam pervenimus, varias personas atque casus recensebimus, quibus permissum est ignorantiam legis atque juris certis circumstantiis pro se allegare. Huc referuntur 1.) Minores XXV. annis *l. 9. pr. de jur. & falsi ignorantia l. 11. C. ejusde. tit.* ita si filiofamil. crediderit, favent LL. ut non videatur filiofamil. credidisse *l. 9. ff. eod.* si idem in debitum errore juris solverit, restitutionem indulgent *l. 2. C. si advers. solut. II.)* femina areatu ignorantia juris liberæ pronunciantur in damnis & delictis contra jus civile commissis *l. 9. ff. b. 1.* ita, si mulier ignorantia juris actiones suas potentiori cesserit locum non habet *l. 2. C. ne liceat potentiori, sed firma manet cessio.* Mulieri pena falsi, quæ per ignorantiam juris sibi legatum scripserat remittitur, vid. *l. 15. §. 5. ff. ad L. Cornel. de falsis Conf. l. 2. §. 7. de Jure Fisci & l. 1. §. 10. ff. ad SCum Turpilian.* III.) Rustici a scientia juris aliquando absoluntur, imo ignorantia juris in vitandis damnis ipsis prodest vid. *l. 8. C. qui admittantur ad B. P. l. 3 §. 22. ad SCum Syllan. & Renat. Chopin. Tr. de Privilegiis Rustic. c. 5.* Huc respiciunt *l. 1. §. fin. ff. de*

de edendo, l. 25. §. 1. de probat. IV.) Militibus quoque specialia indulse-
runt LL. beneficia, quo & ignorantia juris spectat, quæ tam in l. 9.
§. 1. ff. b. t. quam L. 1. C. eod. apud illos excusatur. Rationem, Jus
Civile in excusanda ignorantia habet, a conditione harum per-
sonarum petitam esse deprehendimus. Nullum enim præ-
sumserunt in his personis, quoad legum ignorantiam, dolum,
modo ex simplicitate, modo ex sexus fragilitate, modo ex per-
missione legis egisse præsumuntur. Inde est communis Dd. opi-
nio, minorem, licet super actu, qui geritur, jurasset, non tamen
præsumi actum illum scire. Baldus in Rubr. C. de rer. permu-
n. 4. nam facere eum quidem majorem juramentum præsti-
tum, non tamen sagacem & prudentem ut ait Socin. Consil.
CCLXIII. n. 2. Vol. II.

§. VII.

Monendum adhuc est, plures præter jam allegatas fuisse
rationes, cur tamen aliquam juris ignorantiam tulerint LL.
Romanæ. Quis enim nescit, Jurisprudentiam illam multis
laborasse solennitatibus atque subtilitatibus, quibus carere po-
tuisse optime videbatur. Magnus quoque legum erat cumu-
lus, ingens opinionum copia, ut desperatum pene opus esset,
Legum Rom. notitiam sibi comparare. Describit hanc Juris
Rom. vastitatem Justinianus in l. 1. ff. de vet. jure enucleando.
Cum itaque, inquit, nihil tam studiosum in omnibus rebus
invenitur, quam legum autoritas, quæ & divinas & humanas
res bene disponit, & omnem iniquitatem expellit, reperimus
autem, omnem legum tramitem, qui ab Urbe Roma condita
& Romuliis descendit temporibus, ita esse confusum, ut in-
finitum extendatur & nullius humanæ naturæ capacitate
concludatur &c. Unde satis constat, Romanam Jurispruden-
tiam ita fuisse comparatam, ut in ejus nimia prolixitate Sum-
mi Legislatores coacti fuerint, durissimam LL. cognoscendi
conditionem nonnullis remittere. Nihilofecius firma nobis
ea sedet opinio, in quavis Republica bene ordinata in id la-
borandum, ut LL. a civibus & facile intelligi, addisci & pro-
statu eorum tam physico quam politico in actus deduci que-
ant. Ea enim privilegia, quæ circa legum & Juris ignoran-
tiam concedi necessaria sunt, morbum Reipublicæ atque pru-
dentiz Legislatoriz denotant. B Qnod

Quod ad notitiam legum pertinet, considerari potest tanquam eminentior & simplex. Per illam intelligimus intimiorem aliquam legum notitiam, quæ in ipsius legis rationes inquirat, actiones civium ad illarum normam examinat. Simplex cognitio sapius in literali legis scientia acquiescit, sine cognitione legis, ratione & fundamento, ita ut sola tantum obedientia LL. sibi præscriptas observent subditi: Prior cognitio a iudice requiritur. Id enim ejus officium postulat, ut legum peritus sit; vid. *Carpz. 6. Resp. 10. n. 17.* Nulla in illis nec præsumitur ignorantia, nec toleratur, nec excusat *c. 13. de R. 7. in 6.* Legum enim peritiam profitentur, turpe inde est, jus, in quo versatur ignorare *l. 2. §. 43. ff. de O. I. Judicis ignorantia annumeratur culpæ, l. 132. de R. 7.* Imo eam nonnulli dolo accensere volunt, *Gail. 1. Obs. 153. n. 3.* quæ tamen sententia nimis dura videtur, cum dolus sine proposito non committatur *l. 2. §. 2. ff. de vi bonor. rapi. Conf. l. f. ff. de extraord. cognition. & pr. 7. de Obligat. quæ quasi ex delict. nasc.* Antiqua jam fuit querela, judicia non raro ex personis legum & juris rudibus constitui, Queritur adeo de hoc judiciorum abusu Carolus V. in *Const. Crim. Art. CXXXIX.* Ipse Imperator Justinianus in hoc passu tantam curam habuit, ut ab iis qui iudicis officio præficiuntur, juramentum præstari voluerit, illos omnia facturos secundum LL. & jura *Nov. c. 1. Arb. Hodie. de judiciis.* quamvis non negandum, hoc sufficiens medium non esse, ad finem quem intendere voluit. Et laudanda est Imperatorum Theodosii & Valentianiani modestia, qui grave iudicis officium cum cognoscerent, & quanta legum ad illud subeundum requireretur notitia, in *l. 32. C. de Appellat. constituerunt*, ne quis ulterius propriam Imperatorum expectaret audientiam. In Germania olim morum atque consuetudinum experientissimi in iudicia vocabantur. *vid. Capitularia Regum Franc. lib. 1. c. 62.* Primum namque iudici diligenter discenda est lex, a sapientibus populi composita, ne per ignorantiam a via veritatis aberret, quæ in Capitular. mandata, ea agere, discere, observare & in consuetudine habere debent.

Conf.

Conf. Land- & Lehn-Recht. Die Schöpfung sollen weise Leute seyn. LL. antiquæ Burgorum Scoticorum *cap. 133.* virtutes judicis sequentibus describunt verbis : In omni Burgo totius regni Vice-Comes faciet XII. legales homines de sufficientioribus & discretioribus illius Burgi Sacramento suo asserere, quod omnes LL. & consuetudines prædictas apud se pro posse suo observabunt & in ipso Burgo observari facient. Imo perantiquus mos fuit, ut judices in majorum nostrorum foro LL. jura & statuta in libro conscripto haberent, ex quo sententiam invenire & causas decidere possent. vid. LL. *Bojavorum c. XV. tit. 2.* Et graviter in judices delinquentes animadversum LL. Longobardorum *lib. VII. c. 176.* Comitem cum Scabinis, si casum legibus cautum intentatum vel reliquisset, vel præterisset, in carcerem deportandum esse voluerunt. Non inepte Baldus de judice eam tulit sententiam : *Duplicem, inquit, debet habere salem, alterum conscientia, sine quo est insipitum, alterum conscientia, sine quo est diabolicum.*

§. IX.

Et id voluerunt LL. Romanæ, & antiquissimi Germanorum mores eo respexerunt, ut in judice nullam admitterent ignorantiam. Exiguus labor foret, ex recentioribus imperii atque provinciarum constitutionibus nova adducere testimonia, ex quibus judicum queat probari officium. Ast in re tam clara ea haud indigemus prolixitate. Omnium instar nobis sit R. J. *de anno 1654. §.* Wie zu verhüten ic. in quo sequentia deprehendimus : Erinnern auch ernstlich hiermit und Krafft dieses, daß Churfürst und Stände dero Gerichte mit qualificirten Leuten also bestellen sollen und wollen. *vid. Carpz. Prax. Crim. Qu. 133. n. 4.* Utigitur omni careat dubio, ignorantiam juris atque legis haud excusandam esse in judice. Sed utrum hæc hodie stricte observentur, & annon sæpius de judicum ignorantia conquerendi causas habeant, qui in foro actiones instituunt, aut in iis conveniuntur, quotidianæ relinquendum est experientiæ. Et sane non ultima est causa, cur lites sæpius in infinitum protrahantur, quod judicis interdum præfideant homines plerumque illiterati, si vel maxime literatorum insignibus,

nibus, titulo atque elogio superbiant. Hos tanquam suspectos occasione *L. 16. C. de Judiciis*, recusari posse, nobis omnino videtur. Idem pene partibus imminet periculum a iudice imperito, LLque ignorante, quod a iudice ex affectuum imperio sententiam pronunciaturo timendum est.

§. X.

Præterea eminentior hæc legum cognitio non modo in illis desideratur, qui iudicum officio funguntur, sed & omnes ii, qui hominum actiones ad legum cynosuram examinare debent, plenam legum & juris habeant notitiam. Hinc excusari haud poterit legum ignorantia in docentibus & iura publicis in scholis profitentibus. Neque exacta Legum cognitione carere possunt, qui collegiis publicis assident, & de jure interrogantibus responsa aut consilia præbent. Eminentior in illis Legum peritia requiritur, cum ad illas & cives & iudices tanquam oracula confugere soleant. Proinde notandus insignis ille abusus, quod non raro in his sapientum collegiis deprehendantur homines ad exornandam nobilissimam illam spartam inepti & haud sufficienti legum peritia instructi. Imprimis illi morbo obnoxia esse solent collegia, in quæ ex antiquo more in assessores recipi solent, quos non tam legum insignis cognitio, quam successione ordo idoneos fecisse creditur. Ceterum impunis plerumque solet esse ea in respondendo negligentia, & juris ignorantia, ut vix alia actio contra ejusmodi pronunciantes, sententias atque responsa ferentes inveniatur, quam quæ ex illorum pudore descendit, quo si jamjam exuti, omnis, ut majori cum sollicitudine suo satisfaciant officio, inanis erit spes & expectatio.

§. XI.

Sed nunc ad reliquos in republica pervenimus cives, quibus simplex sufficere poterit legum notitia, ut ea, quid sibi incumbat, agendum vel omittendum, agnoscant. Is enim est ferendarum legum scopus, ut observentur, quod autem absque prævia legum cognitione fieri nequit. Hinc etiam legislatoris officium patet, qui curare debet, ut ejus leges ab omni-

omnibus percipiantur atque intelligantur, quippe obligatio necessario supponit cognitionem legis sufficientem. Quæ itaque studium legum efficiunt obscurum & difficile, semper vitanda erunt. Inde iudicium ferri poterit de illis casibus, quando leges in lingua peregrina, ut respectu Germaniæ nostræ sunt Romaniæ, traduntur, quæ tamen paucissimis, qui in civitate degunt, cognita est, quod idem dicendum est de legum nostrarum horrenda copia, & diversa dicasteriorum explicatione, ut sæpius in dubia sententia omnino permanendum sit, quo & pertinet, quod multæ leges quidem non sint in usu & tamen non aboleantur, quibus tamen iudices interdum tanquam non abolitæ adversus imperitum vulgus insigniter abuti solent. Et qui sunt alii defectus ad huc crassiores, ex quibus ignorantia legum in republica originem trahere solet.

§. XII.

Sed ad duplicem hoc loco respiciendum est statum, ad eum nempe, qui esse posset & deberet, & qui jam existit. Hinc non sunt confundendi fines. Quod si enim legum & juris statum consideremus, qui esse deberet, demonstratu forte non difficile esset, quod Legislatores quamvis non sine omni difficultate efficere possent, ut leges omnibus quorum interest, sufficienter innotescerent. Ea vero duobus primario absolvitur capitibus, quorum primum accurata legum & ex captu statuque civium facta structura, alterum autem provida legum est promulgatio & conservatio. Ad prius requiritur, ut omnes obscuritatis & difficultatis causæ evitentur, inter quas esse solet, nimia brevitatis & prolixitas legum, ambiguitas verborum, insolitum atque incognitum idioma, insufficientis declaratio mentis legislatoriæ & similia. Aliquando difficultas legum notitiam acquirendi dependet a promulgandi & conservandi modo. Vicia autem quæ his occurrunt, sunt, neglecta generalis legum promulgatio, quæ ad omnium notitiam pervenire possit, intermissa legum obsoletarum & salutis publicæ aut voluntati legislatoris non convenientium legum abrogatio expressa, diligens & commoda legum consignatio, ne vel iudicium aut civium

manu & memoria excidant, verum potius facile haberi & repeti queant ne oblivioni tradantur.

§. XIII.

Quod si hæc consideremus & cum hodierno legum ac jurium conditione conferamus, causas & rationes videbimus, cur rarior sit legum & juris notitia, frequentior imo frequentissima legum & juris ignorantia. Nihil jam dicamus de incuria & negligentia eorum, qui cum leges scire debeant, nescire malunt, aut leviori & tenui quadam notitia sunt contenti. Hæc culpanda omnino est. Et hic quæstio a DD. movetur ad quem culparum gradum, ut vulgo loquuntur, Cui sit referenda, Distinctione casuum opus est, *Struvius Diss. de damno lib. 57.* distinguit inter jus, quod ea continet, quæ omnes illius Reipublicæ subditi facile scire possunt & debent, hoc ignorans culpæ latæ, id est majoris reus est l. 12. *C. de jur. & facti ignor.* vel ea proponit jus, quæ subditi quidem scire deberent, sed non nisi exacta vel exactissima diligentia cognosci possunt, & hujus ignorantia levi vel levissimæ seu minori adnumeratur, habentur enim hi ignorantes vulgo propterea in culpa, quod non consuluerint peritiores, quamvis, si dicendum, quod res est, hoc medium maximis sane difficultatibus obnoxium sit, adeo ut nesciamus, si nulla malitia in illis reprehendatur, an ex æquitate ullo modo pænæ rei censendi sint; vel concernit ea, quæ intuitu aliquis certi hominis & conditionis, in qua ille positus est, cognosci ab ipso, adhibito studio, quale ab ejusmodi homine in tali statu exigere non poterat, & hæc ignorantia sine ullo dubio excusat. *conf. Bachov. ad Treuil. Vol. II. Diss. 4. thes. ult. lit. B. Fachin. lib. X. controv. jur. cap. 12.* Gradus itaque, vel quantitas culpæ in actionibus eorum, contra legem aliquam, qui illam vel penitus, vel secundum omnes circumstantias ignorarunt, partim ex veris aut fictis ignorantie causis, partim ex gravioribus aut minoribus impedimentis hanc ignorantiam vincendi, judicandum est, ita, ut quo major legem cognoscendi facilitas & occasio, eo gravior pænæ & e contrario, quo gravior aditus cognoscendi legem, eo mitior, & ubi

ubi plane non, nec negligentia nec malitia juncta fuerit penitus nulla pena locum habeat. Gradus autem culpæ, ut in omni jure ita & hic determinari ideo non potest, quia mensurare est opus solum Mathematicos, in Jurisprudencia autem non æque procedit, quippe posterior actiones hominum dirigit adeoque ad disciplinam, moralem pertinet, cujus circumstantiæ secundum minima momenta non adeo sensibus obvix sunt,

§. XIV.

Operæ jam pretium foret, in præsentia ea considerare impedimenta, quæ acquisitioni notitiæ legum objici solent, ex quibus forte patet, majora jam pene esse, quam quæ apud Romanos deprehendebantur, ut inde tuto concludere queamus: esse præjudiciis, quæ in hodierna foventur jurisprudentia annumerandum, quod doctrinam de ignorantia juris velimus ex legibus Romanis petere, cum ea potius, ut jam a nobis factum, juris universalis & habitu proprio legum & jurisprudentiæ hodiernæ sit eruenda. Ita enim jurisprudentiæ nostræ, si id, quod nobis videtur, ingenue fateri licet, conditio ita est, comparata, ut circa illam pene plures ac apud Romanos concurrere ignorantix queant causæ, quæ multo graviores excusandi rationes præbere nobis videntur rationes. Huc enim primo referenda jurium & legum varietas. Quem latet in Germania foris diversa esse recepta jura? Modo provocamus ad jura statutoria, provincialia, generalia Saxonica & Suevica, communia imperii, modo ad leges peregrinas civiles & canonicas. Quantus hic est legum oceanus, quam longum & prolixum iter transigendum, quis vastam hanc jurium & legum notitiam exhauferit! Non mirum inde est, ut magna legum harum pars ignoretur, etiam a jurium studiosissimo. In hoc equidem jurium numero gravior omnino est incuria atque ignorantia, quæ circa leges statutorias & proximas, id est patrias deprehenditur. Solet alias quæri: quando ignorantia juris statutarii vel consuetudinis inveteratæ excuset. Omnes provocant ad *l. 2. §. 43. de O. J.* Turpe esse patricio viro ignorare jus, in quo versatur, *Masc. sr. interpret. statut. concl. 6. n. 142.* Solent distinguere inter civem antiquum & forensem vel novitium, in posterioribus præstunt

munt ignorantiam & excusant, *Ludov. Roman. cons. 251. n. 3. Ita novo militi, tanquam leges militares juste ignoranti parcitur. Gail. lib. II. Obs. 48. n. 28. 29.* sed nulla opus habemus distinctione, quæ sponte ex obvenientibus fluunt casibus, si principiis §. sup. memoratis inhæreamus, nempe iudicium de quantitate culpæ, partim ex obligatione erga legem, partim ex majori aut minori facilitate cognoscendi legem secundum probabilem personarum capacitatem aut incapacitatem ferendum est. Multum a circumstantiis dependet, quæ in infinitum variare, adeoque de omnibus casibus singulares regulæ nequiquam dari possunt.]

§. XV.

Secundo frequens legum mutatio, quæ hodie non rara esse solet, difficillimam reddit legum cognitionem, in primis illis in locis, in quibus solemne est, quavis fere die novas sancire constitutiones. Perdifficile autem est, omnes illas debita cum attentione observare mutationes, quamobrem nova inde oritur ignorantiz juris causa. Tertio conflictus variorum & diversorum jurium impedire sæpius solet, quo minus jura & leges observandæ debito innotescant modo, dubia plerumque legis & juris autoritate, ut, cui vivendum sit legi, aliquando latent. Hic conflictus facile accidere potest in omnibus rebus publicis, in quibus diversa e. gr. peregrina & patria concurrunt jura. In Germaniz foris non raro collisionem legum deprehendimus, quæ oriri solet, vel ex materiarum concursu, vel propter diversam voluntatem legislatorum. Gravissima inde difficultas, quæ leges spectari debeant vid. *Hert. de collisione legum. Lect. IV.* Quarto intermissa legum variantibus prioribus circumstantiis, correctio & emendatio, indeque orta per consuetudinem aut interpretationem usualem mutatio legis, quæ rarius ad omnium notitiam pervenit, ut inde eveniat, ut legis sensus & vis multos lateat eosque in ignorantiam abripiat.

§. XVI.

Prout autem jus scriptum ignorari potest, ita facilius in juris non scripti aut consuetudinarii ignorantiam incidimus. Hujus enim juris fons multo minus sufficienter clarus & limpidus

pidus est. Consuetudo enim vel ex traditione vel ex usu addiscitur, utrumque variis impedimentis involutum: neque enim traditio semper fidelis & accurata est, neque usus sibi omnia constat tempore, ut igitur facile in errorem vel ignorantiam abire queamus. Ceterum ea juris non scripti quæ scripti est obligatio, utriusque notitiam acquirendi necessitas: hinc quaestio enascitur: quando juris consuetudinarii ignorantia excuset? Non excurramus hic ad speciales casus, quorum multi fingi possunt. Generalis nobis sufficit regula: quoties legitima i. e. tam gravia adsunt impedimenta, quæ in causa fuerunt, cur legis aut juris cognitio non acquiri potuerit, toties excusanda est juris consuetudinarii ignorantia. Hinc si quis novitius aut peregrinus sit in loco, in quo jus consuetudinarium viget nimis severe cum illo ageretur, si omnis juris ignorantia ipsi imputaretur. Ratio quoque habenda frequentæ aut raritatis casus, ita enim in rarioribus major ignorantæ excusandæ erit facilitas, cum consuetudinarium jus optime ex usu addiscatur, usus autem semper desideret exemplorum atque factorum multitudinem, qua deficiente non semper clarum & perspicuum est, quid ex usu & consuetudine obtineat.

§. XVII.

Hæcque sufficiant de Juris ignorantia, quatenus jus pro lege accipitur. Aliquando autem denotat facultatem alicui ex lege & dispositione juris competentem. Et hoc casu in Jure Romano dux sunt traditæ regulæ. Ignorantia juris in lucro quarendo, omnibus etiam feminis nocet. Jus enim ibidem ignorantes pro scientibus habet, nec melioris conditionis debent esse juris neglectores ipsis peritis *l. 8. D. quod vi aut clam*. Ita, si quis novit, quem pupillum esse & nihilominus licite ipsum vendere posse crediderit *l. 2. §. 15. D. pro emptor*, rem ab ipso emptam non usucapiet, quia juris error nulli prodest *l. 4. D. de jur. & fact. ignor.* In usucapionibus error vel ignorantia juris possessori nunquam prodest, licet quas juste possideat, se tamen injuste possidere putet, non usucapiet rem deficiente bona fide & juris errore usucapionem impediente. Brunnemann. *ad l. 31. D. de usurpat.* Nec feminis in causa lucrativa prodest *l. 8. b. 1.* Rationem præbet *l. ult. Cod. b. 1. ne passum*

passim liceat mulieribus omnes suos contractus retractare, aut
 supina ignorantia obtentu saluberrimas Principum constitu-
 tiones circumvenire. Si de lucro sermo sit, respicitur ad o-
 riginem seu causam lucrosam, cum qua saepius damnum con-
 junctum esse solet. Hinc scemina ex juris ignorantia tempus
 praetermittens, quod perpetuo Praetoris edicto ad bonorum
 possessionem petendam, definitum, jure suo excidit nihilque
 pretendere potest. *l. 2. § 4. C. qui admitti ad bon. possess. l. 1.*
6. D. eod. l. 3. Cod. de jur. & facti ignor. Porro matribus tute-
 lae munus in liberos suscipientibus legitimae olim liberorum
 hereditate perfrui permissum. §. 6. *Inst. de Sci. Tertull.* sed si
 infra praescriptum ad petitionem tutorum tempus minus cura-
 verint non prodest illis ea juris ignorantia, prout rescriptit
 Zeno in *l. ult. Cod. qui pet. tutor.* Referunt huc DD. quod mu-
 lieribus, quae legibus statuto tempore feudi investituram pe-
 tere, per juris ignorantiam praetermiserunt, non succurratur.
Tiraquell. de jure retr. p. 2. §. 4. gl. 4. n. 17. v. Petr. Muller.
ad Struv. Synt. Exercit. XXVIII. §. LIII. Quod ad aequitatem
 spectat, non negandum est, in tali ignorantia vincibili negli-
 gentiam jurium suorum esse privatione puniendam, si ni-
 mirum illa doceri queat, ne scilicet de incertitudine jurium
 in republica infinitae oriantur lites, si autem e contrario
 ignorantia invincibilis doceri queat, mitius omnino sentien-
 dum esset, quia non semper in alterius arbitrio positum est,
 de occultis sibi que competentibus juribus certiores esse, mul-
 to minus de iis tanquam incognitis actiones instituire, modo
 alter non inde idem damnum passus fuerit.

§. XVIII.

Altera regula est: Juris ignorantia suum petentibus seu
 in damno rei admittendae non nocet *l. 7. l. 8. D. b. v.* Nemo
 propter juris ignorantiam dominium rei suae, vel jus suum
 amittit. Hugo Donell. *Comment. Lib. I. cap. ult.* Unde
 fit, ut si in divisione aliquis per errorem juris laedatur, error
 ei non noceat. *Carpz. libr. 5. Respons. 7. n. 12. 14. 15.* Exten-
 dunt id nonnulli DD. ad restitutionem rei jamquam amissa.
 Cum enim videatur, ut is, qui rem ex juris errore jam amisit,
 v. gr.

v. gr. si indebitum solverit, non petat id, cujus adhuc est dominus, neque agat, de damno præcavendo, sed potius de re amissa recuperanda, juris error ipsi obesse creditur. Harprecht §. 1. num. 54. *Inst. quib. mod. re contrab. obl. Wassenbach, disp. 43. th. 11.* & regulariter cessare repetitionem. Sed jam veteres contrariam sententiam fuisse amplexos, docet Brunnem, *ad l. 7. D. de jur. & facti ignor.* & Franzkius *ad tit. condic. indeb. n. 9.* objicere solent *l. 9. C. ad L. Falcid.* ubi ex parte accipientis justa est causa scilicet obligatio naturalis. Licet enim Leges Civiles non omni tempore naturalem illam attendant obligationem, sæpius tamen actus ex illa descendentes relinquunt salvos & integros. De his casibus specialibus, in quibus naturalis aliqua obligatio observari debet, loquuntur ex sententia doctorum textus generales, qui juris errorem non admittunt in conditione indebiti. Alia placuit Brunnemano hanc quæstionem componendi ratio; fallaciam in eo acquiescere dicit, cum de damno rei amittendæ non certare, sed amissæ disputare dicunt. Dum enim errans in jure solvit, tum eo ipso momento versatur in damno rei amittendæ non amissæ; ergo non hæc verba de re amittendæ ad tempus conditionis, sed solutionis referenda. Nam alias nemo in facto etiam tantum errans, cum jam vult condicere, in damno rei amittendæ versatur; sed dum solvit, versatur in damno rei suæ amittendæ. Cum autem lex clara & perspicua profert, eaque non minus ex supra allegatis rationibus æquitati respondeat, omni carere disputatione possumus.

§. XIX.

Non vero sufficit ignorantiam juris allegare sed ante omnia ea rite probanda est. Præsumtio enim regulariter contra ipsum est, qui jus debebat & poterat scire. Ea probatio sæpius per juramentum fieri solet, *Gail. Lib. 2. Obs. 48. n. 23. & 24.* Ignorantia enim solum in animo consistit, quod recte cognovit *Carpov. P. I. C. 22. D. 6. n. 5. Conf. Job. Baptistam Costam in Tr. de Remediis subsid. Remed. 97. n. 56. Quo loco 7.* Requisita proposita, ut per juramentum ignorantia probari possit,

§. XX.

Et hæc de juris ignorantia tam ex mente Legum Romanarum, quam ex principiis jurisprudentiæ universalis dici potuerunt. Res eo tandem redit: Ignorantia legis regulariter secundum Jus Romanum nullam parit excusationem, nisi vel ex speciali legis dispositione cuidam personæ legem ignorandi concessa sit facultas, vel secundum æquitatem acquisitio debiti legum cognitionis tam difficilis & impedita sit, ut juxta regulas probabilitatis facile non obtineri possit. Personæ autem, quibus ex Privilegio ignorantia illa permessa est, a jure positivo designantur & ejus arbitrio relinquendum, quas personas hoc favore dignas habere velit. Cæterum ex adductis facile patebit, quam difficile sit Legum in Germania, receptarum sibi comparare notitiam, & quam facilis præsertim ratione plebis sit in ignorantiam juris prolapsio, quibus tamen si cum summo rigore adversus eam procedi deberet, potius pro laqueis, quibus ad perniciem ducerentur, quam pro mediis ad earum veram utilitatem forent censendæ, quod ut evitetur, omnibus qui reipublicæ profunt, officium requiritur.

TANTUM.



ULB Halle


001 585 339

3



56







1722/14 a G. 14. num. 40. J. 47.
37

DISSERTATIO INAUGURALIS,
QVAM DE
**USU DOCTRINÆ
JURIS ROMANI,**
DE
IGNORANTIA JURIS
IN
FORO GERMANIÆ,
ET QVOD IN EO ÆQVUM SIT,
DIVINIS AUSPICIIS
MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE,
REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,
DOMINO
JO. JOACHIMO HAHN,

EPISCOPO METELLOPOLITANO,
Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini per Thuringiam, Hassiam &
Eichsfeldiam in Pontificalibus Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalis Curie
Pro-Vicario Generali, SS. Theologiæ & Juris Vtriusque Doctore, Protonotario Apostolico,
Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegiarum ad Gradus B. M. V. & ad S. Joannem
Moguntiz respectivo Scholastico, Canonico Capitulari, & reliq.

PERMITTENTE ILLUSTRIS ICTORUM
IN ANTIQVA GERANA
PRO LICENTIA,

SUPREMOS IN UTROQVE JURE HONORES RITE
CONSEQVENDI,
PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI
AD DIEM XX. OCTOBRIS AN. MDCCXXII.

SUBMITTET
**CHRISTIANUS GOTTLIEB
PRIBER, Zittau-Lusat.**



ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

